

tione distingvit, cum illa confundere, cum salva hac hypothesi, quod decretum Electionis à causa impulsiva externa absolutum sit, & absoluta adeo Dei voluntas omnium rerum & actionum fons & norma existat, non possit non tam absurdum Paulino eloquio sensum inferre. Dicit quidem pag. 1008. proorismon „fluere ex certo proposito. Et p. 1009. prothesin propositum „illud Dei Apostolum heic considerari velle ut causam proorismu. Sed mera verba dat, cum sibi ipse hoc pacto contradicat; neque dum absoluto Electionis decreto inhæret, distincte ostendere possit, in quo illud propositum ita consistat, ut per hoc à proorismo sive Prædestinatione differat. Hinc jam patet, quod neque per bulen tu thelematos Dei Paulus Prædestinationis decretum significet, cum haud minas kata bulen tu thelematos autu, ac kata prothesin autu, Prædestinationem factam esse commonstret. His igitur vocibus generatim exponit Apostolus propositi illius divini naturam, quod quemadmodum homo aliquid peracturus secum de modo, quo id quam optime perficere queat, consultat, & tum, cum rationes se ipsi ostendunt, propter quas videt certum quendam modum omnium quam optime ipsius fini atsequendo inservire, illum vult, sive decernit adhibere. sic more humano de Deo loquendo, in omnibus actionibus suis Deus agere, & speciatim adeo in isto de salute hominum fixo sibi proposito egisse judicandus sit. Itaq; simul per bulen tu thelematos Dei & intelligi Electionis decretum & notari decreti hujus sive voluntatis, qua elegit Deus quosdam ad salutem, nullam aliam esse causam, præter Dei voluntatem, falsum est. Licet enim nihil prius voluntate Dei cogitari possit, à qua illa ut causatum à causa sua realiter dependeat, atque adeo actu realiter in Deo producto moveatur & determinetur; hoc tamen non impedit, quo minus ratio detur à priori, quæ per modum causæ, nostro intelligendi modo se habeat, à qua Deus virtualiter moveatur & determinetur. Neque per hoc quicquam summæ & anupeuthyno Dei potestati de-
dit,